

mo declaró, que sus padres, y otros, le contaron la mucha christiandad y virtud de Juan Diego," etc.

ARGUMENTUM OCTAVUM.

Veritas Apparitionis B. M. V. de Guadalupe ostenditur ex sacris concionibus ea de re habitis ad populum.

Quare ad probandam Apparitionis veritatem argumentum ex concionibus desumimus distinctum ab eo quod ex scriptoribus eformatur? Duplici de causa: 1.º eo quod argumentum ex concionibus non solum sumitur ex illis, quae typis editae, vel manuscriptae servantur, sed generaliter ex omnibus, quorum pars major non servatur, vel amittitur: 2.º eo quod ut a vero non deviet de re ad cultum divinum pertinente continua praedicatione per tria saecula cum dimidio, scientibus, et consentientibus, vel praecepientibus Pastoribus, aut ipsis concionantibus, specialem gratiam Dominum concedere persuasum habemus, quae gratia ita specialis scriptoribus non itidem datur.

Probabiliter dicendum praedicationem de Apparitione B. M. V. de Guadalupe incepisse saltem ab eo die quo translata solemnissima processione sacra Imago de Mexicea Metropolitana Ecclesia ad primum Tepeyacense Templum, etiam in hoc ipso Templo B. M. V. de Guadalupe solemnii celebritate fuit venerata. Quis enim credat in tanto festo verbi Dei praecones mutos extitisse? Sed quoniam interierunt plurima, eaque summpere aestimabilia, ad res nostras perantiquas pertinentia, probare omnia historice non licet hodie. Verum si ad ea quae historice probantur attendamus, apparel Rmum Montufar, qui secundus fuit Mexicanus Archiepiscopus, atque etiam alios Sacerdotes ipsi coaevos conciones habuisse de B. M. V. de Guadalupe: atque etiam constant de eadem re concionandi, sive mexicane, sive hispane, antiquam extitisse consuetudinem, necnon et

constat de concionum maxima numerositate, ut videbitur in 3.^a Parte hujus Dissertationis in *Explanatione et comprobatione historica hujus argumenti*.

Quis autem sit numerus omnium concionum, quae de Sanctissima M. V. de Guadalupe habitae sunt, definiiri non potest. Quascumque de hac re historicas notitias habere licuit, legantur in *Comprobatione et explanatione historica hujus argumenti*. Guridi Alcoser (1) apud se habuisse asserit plusquam nonaginta conciones typis editas de B. M. V. de Guadalupe: opus autem in quo id asseruit, typis edidit anno 1820: at vero non affirmat praedictus auctor omnes conciones impressas apud se habere; et insuper earum numerus temporis progressu auctus est. Verum notandum, apud nos quam plurimas conciones dici, et ex illis paucas typis mandari: Ex. gi ex omnibus praedictis impressis concionibus B. M. V. de Guadalupe, pars minima pertinet civitati Guadalaxarae; in hac autem sola civitate, in solo spatio temporis elapsi a confirmatione Guadalupensis Patronatus, facta a Smo. D. Benedicto XIV, usque ad praesens tempus, plusquam quadrigentae conciones de B. M. V. de Guadalupe ad populum habitae facile numerantur: Hinc conjici potest, juxta locorum et temporum adjuncta, quam fuerit magnus illarum numerus in universa Mexicana Natione a tempore Apparitionis usque ad praesens tempus. His addenda sunt conciones de B. M. V. de Guadalupe habitae in exteris nationibus. Et animadvertisse insuper quantum ad conciones typis editas illud ipsum quod de libris notatum fuit, scilicet, quod haec conciones, non modo ipsorum concionatorum, verum etiam illorum, qui conciones approbarunt, et qui ad eas imprimendas licentiam concesserunt, sententiam unanimem ostendunt

(1) *Apología de la Aparicion*, etc., cap. 15, § 2.

de veritate Apparitionis B. M. V. de Guadalupe. Quis autem credat tot eruditos viros, diversis temporibus et locis, de eadem re unum idemque et censuisse, et publice asseruisse nisi inconcusso fundamento illud fuissest stabilitum?

Vis augetur hujus argumenti si aliud attendamus, scilicet, ex praedicatione frequenti et continua de B. M. V. de Guadalupe, non modo praedicatorum, et eorum, qui conciones impressas approbarunt, et qui ad earum impressionem licentiam concesserunt, sententiam colligi in favorem Apparitionis; sed etiam totius mexicani populi, in quo quam plurimi viri sapientes et inveniuntur, et extiterunt semper; atque etiam haberi eadem de re consensum populorum, et sapientum virorum in exteris nationibus, ubi etiam hujusmodi conciones habitae sunt. Praedicatio de B. M. V. de Guadalupe frequens et continua, nullo reclamante, imo etiam fidelium multitudine grata semper audiente, omnes de Apparitione idem sentire evidenter ostendit; ac proinde traditionem de B. M. V. de Guadalupe Apparitione omnimoda fide dignam patefacit.

At si rem Theologice inspiciamus, etiam dicere necesse est hujusmodi continuam praedicationem, qua beneficium divinum adeo insigne populo nuntiatur, ut est illud quod in Guadalupensi Apparitione continetur, etiam honorificentissime proposita coram audientibus, vel ipsa originali Imagine B. M. V. de Guadalupe, vel alia, quae illam originalem reprecentet, atque fideles ad Dei cultum, et Deiparae majorem amorem, et venerationem excitando propter praedictum beneficium, cum talis praedicatione facta semper fuerit scientibus, et consentientibus, vel praecipientibus Pastoribus, saepe etiam ipsis concionantibus, vel conciones audiendo, vel licentiam ut illae imprimantur concedentibus, hanc praedicationem continuam in sui favorem habere dicimus Pastorum auctoritatem, quanta illa est in rebus tanti momenti, neconon in sui favorem habere agnosendum est illam specialem provi-

dentiam, qua, etiam in partibus verae Ecclesiae, Dominum benigne curare confidimus ne per tantum temporis spatium a vero deviet praedicatio a veris Dei Ministris peracta, et Pastorum fulta auctoritate.

(Videatur Explanatio et Comprobatio historica hujus argumenti in 3.^a Parte hujus Dissertationis.)

ARGUMENTUM NONUM.

Veritas Apparitionis B. M. V. de Guadalupe probatur ex cultu ipsae Deiparae sub hac advocatione exhibito, sive Mexicana in Natione, sive extra illam.

Cultus B. M. V. de Guadalupe continuus extitit ab ipsa Apparitione usque ad praesens tempus; atque ille et fuit, et adhuc est magnificentissimus; nec intra fines Mexicanae Nationis est conclusus, verum etiam ad extereras gentes migravit.

Continuus inquam ille cultus, et magnificentissimus ex omni parte.

Si Pastorum attendamus devotionem erga B. M. V. de Guadalupe, primum mexicanum Antistitem videbimus, Rmum. Zumarraga, qui ut Sacra Imago ejus in conspectu visa fuit, illam humillime veneratus est; atque solemnisima processione e Cathedrali Ecclesia ad Tepeyanense primum Templum ipse deduxit. Atque in hujus Nationis sive Episcopis, sive Archiepiscopis, frequentia, et praeclera in B. M. V. de Guadalupe amoris, et venerationis signa reperiuntur, ut in sequenti argumendo dicetur.

Si mexicani Cleri saecularis et regularis erga ipsam Deiparam de Guadalupe pietas inspiciatur, quis enarrare poterit quoties ecclesiastici viri Apparitionem celebrarunt, quot modis templorum in honorem B. M. V. de Guadalupe dicatorum, decorem curaverunt, et cultum,

et fidelium, pro tam singulari beneficio, amorem in Dei Genitricem incenderunt?

Si sapientum virorum quaeramus obsequia, sive ecclesiasti illi fuerint, sive laici, summo honore ipsis semper fuisse comperiemus devotionem erga B. M. V. de Guadalupe sacris concionibus fovere, ejusque Apparitionem sive publicis scriptis, sive privatis colloquiis enarrare, et firmissime stabilitam ostendere: plures etiam ex illis confraternitatibus in honorem B. M. V. de Guadalupe institutis, nomina sua dedere.

Si piorum benefactorum numerum et munificentiam inquiramus, ad insigne Tepeyacense Templum aspicere sufficiet: ditissimum illud Templum auro, et argento, et lapidibus pretiosis, atque cultus in eo magnopere splendidus, ita copiosam piorum benefactorum multitudinem ostendit, ut illorum historia libros implere posset; ad haec accedunt quae aliis templis in honorem ipsius B. M. V. de Guadalupe per civitates, et opida Mexicæ Nationis dicatis, munera contulere quamplurimi pii benefactores.

Si civilium Magistratum erga B. M. V. de Guadalupe pietatem aspiciamus, praeclaram illam fuisse comperiemus: nam illi, et processionibus, et aliis solemnitatibus ejusdem Sanctissimæ Virginis aderant, et Templa ejus speciali colebant veneratione, et ipsius B. M. V. de Guadalupe cultum fovere, et principale Patronatum B. M. V. de Guadalupe non modo libentissime suscepserunt, verum etiam propria cooperatione ut institueretur fuere magna pars: festum civile solemnissimum etiam institutum fuit illud in quo Apparitione Guadalupensis celebratur, quod festum summo honore celebrarunt civiles Magistratus, etiam primarii, donec infaustis hisce temporibus Ecclesiae et Status separatio sancita est. Quinimo etiam in hac civitate Guadalaxara publica civilis Auctoritas licentiam concedit ut praeter illam companiarum pulsationem, quae lege permittitur, die 12 Decembris campanae omnium

templorum simul et solemnissime pulsentur tribus vicibus, scilicet, ad auroram, ad meridiem, et ad finem vespertini crepusculi, et ut festivis mucisis instrumentis personantibus civitas ad auroram ordinate percurratur, atque etiam ut alia grati animi signa ostendantur, et publicae laetitiae.

Populorum amor et devotio erga B. V. M. de Guadalupe maxima est. Nam in festis ipsius B. M. V. tempora replentur fidelium multitudine, ad quam capiendam tempora ipsa parva aliquando videntur: festum Apparitionis publicis laetitiae signis magnificentissime celebratur. Haec populorum devotio praecipue ostenditur in Templo Tepeyacensi, in quo ipsa Imago B. M. V. in Joannis Didaci ayatl coelitus depicta, summo honore assertatur, et veneratur.

Tempora multa, et altaria quamplurima in honorem B. M. V. de Guadalupe ercta sunt, et confraternitates etiam institutae: imaginum autem ipsius B. V. de Guadalupe, sive in templis, sive in fidelium domibus, ita copiosa est multitudo, ut numerari non possint.

In publicis calamitatibus saepe, et solemnissima supplicatione B. M. V. de Guadalupe invocata est.

Annum Apparitionis festum Officio et Missa propriis, et ut primae clasis celebratur ex concessione SS. D. Benedicti XIV, qui B. M. V. de Guadalupe Patronam principalem nobis dedit. Idem festum de pracepto servatur cum obligatione sacrum audiendi et cessandi ab operibus servilibus, quod ab omnibus libentissime observatur.

Haec autem theologice consideremus. Ut dictum est et Pastores, et Clerus, et populus, et viri sapientes, et qui auctoritate civili decorati fuere, omnes unanimiter Apparitionem B. M. V. de Guadalupe grato animo recolunt, et solemniter celebrant, et in publicis calamitatibus Deiparam, quae Tepeyacac benignissima apparuit, deprecantur, et tempora in ejus honorem dicata frequen-

religionum, Canonici, et Dignitates obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus, quinquaginta et quatuor, octo Parochi, octoginta Presbyteri saeculares, (1) quadraginta et duo Presbyteri regulares, octoginta et duo Doctores Universitatum, et laici quamplurimi nobilitate insignes; praeter quos quatuorcentum nonginta et duo Congregationi erant adscripti, qui dispersi reperiebantur, sive Romae, sive Galliae, etc., sive variis in locis Hispaniae et Americae. Haec ita erant quando D. Riverae opusculum praedictum typis fuit editum, quod factum est annis 1740, 1757 et 1785. (2) En quam fuerit magnificus etiam extra Mexicanam Nationem cultus B. M. V. de Guadalupe. Adhuc de hoc cultu in exteris nationibus plura dicentur.

(*Videatur Explanatio et Comprobatio historica hujus argumenti in 3.^a Parte hujus Dissertationis.*)

ARGUMENTUM DECIMUM.

Veritas Apparitionis B. M. V. de Guadalupe ostenditur ex approbationibus Episcoporum.

Cum antiquissima plura mexicani archivi Archiepiscopalis interierint, ut dicetur in solutione objectionum, non requirendus est hodie aliquis de Apparitione juridicus processus Rmi Zumarraga; verum hoc non obstante, ita multipliciter, continue, et solemniter, non ab uno tantummodo, sed a pluribus Archiepiscopis, et Episcopis Guadalupensis Apparitio approbata est, ut meridianam

(1) Praepter honorem Sacerdotii, alio etiam decorati fuere hi Presbyteri saeculares, dicuntur enim *Presbyteros seculares condecorados*; sed non determinatur qualis fuerit hic alias honor. Presbyteri regulares dicuntur *Presbyteros religiosos graduados*.

(2) Beristain, Bibliot, art. Rivera Guzman D. Teobaldo. Videatur hoc opusculum in Opere cui titulus, *Coleccion de obras y opusculos pertenecientes á la Aparicion*, etc., tom. I.

tant, et imagines ejus innumeratas, et in templis, et in privatis domibus venerantur, multisque modis grati animi sensum pro ineffabili hujusmodi dignatione Dei Genitricis protestantur. Unde devotio haec longe lateque diffusa, perque tria saecula et amplius continuata? Unde hic cultus perpetuus, et splendidus, nisi ex speciali motione divinae gratiae? Dominus autem, et verax, et sanctus, nonnisi ad vera et sancta corda nostra movet: sanctus ergo est, et veritate innixus cultus B. M. V. de Guadalupe. Hoc autem cultu gratiarum actio pro B. M. V. Apparitione Domino redditur, atque ipsa Piissima Virgo, quae Tepeyacae apparuit, amore et singulari fiducia celebratur, et invocatur. Apparitio igitur vera est habenda.

Crescit hujus argumenti vis si id attendamus, scilicet quod cultus B. M. V. de Guadalupe, non intra fines Mexicanae Nationis conclusus est. Et quidem quantum hispanum sese aliquando extendit imperium, etiam cultus B. M. V. de Guadalupe propagatus est, quoniam in omnibus regionibus Catholicis Regi subjectis, ipso Rege postulante, festum B. M. V. de Guadalupe, cum Officio et Missa propriis SS. D. Benedictus XIV celebrari concessit. Atque etiam per alias nationes, et in ipsa urbe Roma Sanctissima Virgo Maria de Guadalupe cultu est celebrata. Verum celeberrima fuit Congregatio in honorem Sanctissimae Virginis de Guadalupe Mexicanae, instituta in regia urbe Matritensi, in qua ipse Rex primus et maximus frater erat, cuique viri quamplurimi sapientia et nobilitate insignes nomen dedere. De hac Congregatione scripsit D. Theobaldus Rivera librum cui titulus, *Relacion y estado del culto, lustre, progresos y utilidad de la Real Congregacion, etc.* Ibi autem refert auctor quo personae dignitate insignes, vel alio titulo spectabiles, usque ad illud tempus praedictae Congregationi nomen dederunt: inveniuntur ergo duo Reges, duae Reginae, duo Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae, Primatus unus, vixi et unus Archiepiscopi et Episcopi, duo Generales